



Olon filius fuit Syuardi ex Haraldī regis Daniae sorore prognatus. Is in adolescentia adhuc cōstitutus res maximas gessit, ac sibi magnum nomē comparauit. Visu adeo efferus erat, ut quod alij armis, ipse oculis in hostem ageret, ac fortissimum quencq; uibrante luminum acritate terreret. Itaq; primò Gunnonem & Grimonē latrones, qui nemus Ethasog infederant, solus accedens, ad pugnam prouocauit, & suo cane adiutus sustulit. Postea Hiallum & Scatum cum septemdecim pugilibus prostrauit, atq; Esam Olauī regis Vuermorū filiam à se liberatam uxorem accepit. Inde Thoronem tyrannum in patria sustulit, & à patre pelagi

Imperium impetrauit. Ibi aliquot reges maritimos deuicit, atq; inter eos pro suo libitu pacem firmauit. Interea bellum inter Haraldum & Ringonem reges Daniae & Suetiae exortum est, anno 320. Tum Olon Ringoni se coniungens, memorabili illo praelio in Septentrione commisso uictores extiterunt. Hisce peractis, post occisum Haraldum, & Hetham mulierem in ordinem redactam, Olon omnium consensu rex Daniae constituitur. Regnum illud magna dexteritate gubernauit, atq; Iutiam sibi uectigalē reddidit. Cum autem quibusdā seuerius agere uideretur, conspiratione facta in balneo interfectus est. eius filius Omundus in regno successit. Sax. Gram. lib. 8.